UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# F. Corneli[i] Cvrt[i] Augustiniani Erem. De Clavis Dominicis Liber

Curtius, Cornelius

Monaci, 1622

Caput I. Scriptionis occasio. Aemulorum copia. Divinae opis imploratio. Materiae dispositio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11735

Visual Library

# F. CORNELI CURTI Auguſtiniani

# DE CLAVIS DOMINICIS LIBRI

## CAPUT I.

*Scriptionis occaſio. Æmulorum copia. Divinæ opis imploratio. Materiæ diſpoſitio.*

EX Lycæo Anglopolitano Boiariæ & totiꝰ pænè Germaniæ delicio, in urbem principem, cui Monachi nomen fecerunt, ſuperioris mei ſcripto evocatus eram; quòd illic operâ meâ ei opus eſſet. Jam

tum ibi in Belgarum familiaritatem penetro: damus, accipimus ſalutem mutuam, & juxta Patriæ noſtræ genium, bellè & Belgicè copulamur. Frequens me viſit *Sadelerius* inter Ambivaritos natus homo antiquę probitatis, induſtriæ novæ, in arte ſculptoriâ politiſſimus, eruditionis adhæc amator & ad ſtuporem admirator. qui cùm doctrinæ meæ teſtes locupletes, aut ut veriùs dicam, nimis benevoſos præcones alios audiviſſet, is ipſus coràm ſtudioſo alloquio ſcientiæ meæ periculum fa-

cere

cere voluit. Sed, prô Deum immortalem! quàm multi ſunt, qui theſaurũ omnem in linguâ ſitum habent, & cùm garriunt, σοφοὶ planè, non tantùm φιλόσοφοι videntur: ubi verò meditari aliquid occipiunt, & cudere quod in omnium manus, oculoſque veniat, tum aceti nihil illis in pectore eſt. ut verè de illis dicere poſſis, quod de luſciniâ quidam: Vox, prætereà nihil. Documentum ergò ſcriptum & publicum rogat: orat, ut commentarium quemdã P. Angeli Auguſtiniani novâ hiſto-

riâ inluſtrem, & reſter, ſi quid cordis Cornelius habeam. Ego, qui conſcius eram infantiæ meæ, qui numquam hactenùs per calamum publicè loqui auſus fueram, excuſo codicum penuriam, meam ipſius imperitiam, & Latini ſermonis jam pridem neglectam venuſtatem. Objicio momos, æmuloſq;, quorum nunc major copia eſt, quàm olim
Plaut. muſcarum (ut ille loquitur) cùm caletur maximè: qui ſcripta priùs carpunt, quàm legunt; & antè quàm in tribunal venerint, abitione ſiniſtrâ
rigidi

rigidi iſti Areopagitæ ad θ. nigrum autorem reum improbè damnant. Vix hæc dixeram: ibi tum R.^dus^ P. *NICOLAUS CRUSENIUS*, cui à R.^mo^ Generale Boiariæ Provincia Commiſſa erat, me pluribus verbis hortari, opem operamque ſuam, & librorum optimorum auxilium promittere; nihil eſſe, quod invidiæ malignitatem timere debeam, omnibus hoc viris etiam magnis commune eſſe, neq; Mundi Repurgatorem Herculem Junone unquam caruiſſe. An ideò (inquit) oppreſ-

ſus eſt, quia odio illiu
preſſus? immò an non
clariùs emicuit iſta virtu
tis genuina vis, poſtquam
hæc invidiæ umbra ac
ceſſit? Te quoque, non
falleris, ſtimulus hic ma
net, monetq́ue ne lente
ſcas, ne dormites uſqu
Obſibilabit tibi undiqu
hæc excetra, & conatu
etiam egregios arrodet
& ſi ullo modo pote eſ
comminuet penitùs. Tu
um eſt maſculum pectu
opponere, & dentem ni
grum virtute retundere
Terruit me ampliùs iſt
vox, tantùm abeſt, ut a
nimare potuerit. Quar
ma-

maximo cœpi opere ob-
teſtari, ut hoc in fortio-
res humeros onus injici-
at, me ferendo non eſſe.
non rectè bovem adduci
ad ceroma, aut τὸν ὄνον λύ-
ρᾳ admoueri: alijs me li-
benter ἐπινίκιον conceſſu-
rum & ceſſurum. Ille
modeſtiam hanc parùm
modeſtam interpretatus,
duriuſculis verbis me in-
crepat; &, Oportet te, in-
quit, hæc Cineralia ieju-
nia pietatis aliquo officio
conſecrare. quare

*Fac ſis vacivas ædeis auri-* Plauto
*um,*
*Mea ut migrare dicta*
*poſſint, quò volo.*

De Clavorum Iesu Chriſti Crucifixi numero libellum conſcribes. & ut non ſit ſine merito labor iſte, ita jubeo, & pro autoritate meâ id impero. Iſto pluſquàm ædilitio edicto, tanquam fulmine aliquo percuſſus & perculſus accipio imperium, arbitratus ſatis mihi eſſe, ſi obediendo Deo & Præpoſitis placerem, licet teneris fortaſsè eruditulorum auribus diſplicerem. Poſtridie igitur, cùm ſomno placido defunctus eſſem, & me ad æris campani ſonitum, ut Catholicorum

mos eſt, ſalutari crucis ſigno munirem, venit in mentem impoſita pridie provincia, & alterũ rurſus alterumque ſignum imprimens, ad ſcribendum animum obfirmo atq; obſtino. & jam charactere iſto ſacro alacrior, in genua procumbo, & eum qui per Clavos crucis tulit ſupplicium, ſupplex invoco. *Mortalium ſalus unica, & captivarum animarum lytrum, Iesù Chriſte, qui Patri Æterno victimam te dediſti, & ad mortem uſq; crucis obediens, eidem* Clavis *trabalibus te & peccata noſtra adfixiſti, ut*

veteribus vinculis emancipatos nos ad te traheres; Ecce ego virtute quoq; obedientiæ ad tuam crucem impellor, ut SS. vulnerum tuorum præcipua inſtrumenta CLAVOS inquiram, numerem, diſtinguam, & teſtimonijs certis firmiſq́; calculum meum qualemcunq; probem. Verùm quia animæ meæ vulnera à tuis mi vulneribus ſeparant, inſtrumenta vulnerum meorum peccata tuis adverſa ſunt; hæc & illa tolle per iſta tua, ut cognoſcat intelligatq́; per virtutem obedientiæ, quæ ignorare merebatur anima per culpam. Confige CLAVIS timoris tui mentem & ham-

*manum; ut nihil iſta dictet, hæc ſcribat, quod à virtute alienum eſt, aut à verâ pietate alienare quemquam poſſit.* Subitoque ſtilum & palimpſeſtum in manus ſumo, & materiem operis ſic ordino. An Chriſtus etiam Clavis fixus; An tribus tantùm; An pluribus; ubi illi, & quales, & quis cultus eis debitus? Quæ non preſsè ſtrictimq; ſed latè omnia fuſeque Patrum teſtimonia & venerandæ antiquitatis reliquiæ comprobabunt.